

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

LXIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

bendæ. Si non superbum videbitur, data optione inter duo, utrunque jungere: sanè & declamarem, & disputarem. Sed de eo vestram expecto sententiam. Literas, quas Huberto per famulum miseram, nondum pervestigavi; sed nescio, an de Huberti fide dubitandum mihi sit, an de famuli perfidia. Cum quid constituero, serio rem agam, non enim patiar, ut planè intercederint. Famulus sanè per absentiam D. Doctoris, ut antehac semper, superbe multa, protervè omnia insolenterque facit. Diligenter me excusabis Dn. D. Sulcero, cui nec ante hac scripsi, quod qua de re potissimum scriberem, non occurrebat, neque nunc à te invitatus literas mitto, tametsi accepto beneficio; quod tabellarius, ut dixi, festinabat. Piscator interea nihil tentavit, sed intellexi, me mea spe non frustratum, hoc est, silentio meo ipsum tantum non confici. Heri cognovimus, Dn. Doctorem rectè valere, & ad diem Mercurii proximum reditum ejus expectamus. Sed brevi, ut spero, plura coram. De hospitio statuam communicato cum Dn. Doctore consilio. Vale in DOMINO, Argentorato, XV. Septembr. 71.

Tuus in DOMINO frater

Johannes Pappus.

LXIX.

*Salutem in Domino.*

**E** Adem hora cognovimus, Dn. Doctorem ante paucos dies Memmingæ rectè valuisse, & te Friburgo domum rediisse, quod ut rectè curata maxilla tua factum sit, DEUM precor. Ego tametsi ante adventum Dn. Doctoris non me possum instruere ad aliquam Philosophicam *σοφίαν*; scis enim, ἢ μὴ ἀφιλόσοφος ἦσθε, à quodam mihi objectum, tamen cum primum potero, ad vos advolabo. Non quod dignissimum me esse putem Magisterio Philosophico: scis enim iterum, quid in hoc nomine ἰδιώτη, qui nunc in suo Northemiano Sturmino rusticatur, requirat; sed qualiscunque doctrinæ testimonium publicum libenter accepturus sim. Quo nomine me hero, vobis, Dn. D. Sulcero, Decano & Facultati artium, obstringi facile patior. VI. Septembr. phthisi extinctus est in prædicatorum Collegio Wilh. Pommer, is cui Dn. Bruno p. m. infensus erat propter Schedam. Funus curaturi eramus sub ejus diei vesperam, quod mane hora 6. ille obiisset. Sed Wisemanno, cui nihil placet, nisi quod ipse facit, hoc cum non placeret, re ad visitatores delata, jubentibus illis ἀπονευστικῶς dilatum est funus in diem sequentem, magna cum indignati-

dignatione Classicorum Præceptorum, quod sub instantes ferias ægrè ferrent, tempus absolvendis lectionibus idoneum sibi eripi. Brunonis Commentaria ab Hawentr. nondum accepi, tamen si semel compellato: Ubi accepero, curabo, ut habeatis. Vale in DOMINO, salutat te familia nostra. Argentorato Martim, semper, quod tua fretus humanitate facio, 7. Septembr. clo 10 LXXI.

Tuus ex animo frater

Johannes Pappus.

LXX.

*Salutem in Christo Jesu. Reverendi & Clarissimi Viri,  
Domini & fratres in Christo honorandi*

PERMOTUS & Vestris, & D. Superintendentis, Clarissimi Viri, D. Marbachii, precibus & admonitionibus, diligenter, quantum quidem in ista temporis angustia, & meorum negotiorum mole fieri potuit, annotavi, quæ in colloquio cum D. Illyrico habito disputata sunt. Et si verò ex literis, quæ à vobis transmissæ sunt, animadverto, eum adhuc pertinaciter opinioni semel conceptæ inhaerere, spem tamen aliquam concipio, per gratiam DEI futurum, ut in viam redeat. Et non dubito, DEUM hanc potissimum ob causam permisissè, ut in hunc palpabilem & manifestum errorem laboreretur, ne posthac leviter errantes tanta acerbitate infectetur, sed de eisdem lucrifaciendis magis quam exagitandis cogitet, juxta illud: & tu conversus confirma fratres. Error certe ipsius non est in phrasi aut genere sermonis tantum, sicut ex Colloquio habito intelligere potuistis, sed *μεγαλοτοuchia*, quandoquidem acriter contendit: peccatum originis non esse vitium aliquod in Natura, sed ipsam essentiam & substantiam hominis propriissime loquendo esse hoc ipsum peccatum simpliciter, sine omni conditione, quod certe absurdissimum est. Cum autem pietatis sit officium & DEO gratissimus cultus, errantem in viam reducere, id quoque cum summo Ecclesiæ commodo conjunctum erit, si hunc præsertim Virum ab illo tetro & palpabili errore revocemus, qui passim habet quosdam, qui magis illius autoritatem, quam veritatem sequuntur. Ea in parte ut officium fratrum facias, per Christum oro. Cupio enim, quantum fieri potest, certamina, si non penitus tolli, saltem contrahi & minui. Qua in parte etiam meipsum non audio, qui non ignoro, quomodo ipse Illyricus erga me sit affectus. Sicut ex scheda transmissa intelligere potui. Id quod etiam apud alios fecit, ubi meum nomen misere deformavit. Certe si ipsius aut mea tantum res ageretur, nec cum Ecclesiæ offendiculo conjunctum esset, possem ego illi demonstrare, *Welcher unet uns gar nichts / viel oder wenig*

Ccc 3

raugt.